B. 17
3
130
22
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE

ORATIO
In Funere
INNOCENTII XIII.
PONTIFICIS MAXIMI

Habita in Vaticano Templo

AD SAC. EMINENTISS. CARDINALIUM COLLEGIUM

A JACOBO AMADORIO
OLIM DE LANFREDINIS.



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA VATICANA
cIↄ Iↄ CC XXIV.

SUPERIORUM PERMISSU.

B.17
3.130
22
CF000739929
B N C F

B.17.3.130.22

Digitized by Google



Emo, & Rmo Principi

BERNARDO
DE COMITIBUS

S.R.E.Card. Et Summo Pœnitentiario

JACOBUS AMADORIUS OLIM DE LANFREDINIS

Felicitatem.

PErhonorifica quidem, ſed valde ardua data mihi fuit provincia, cùm juſſus ſum de laudibus INNOCENTII XIII. *Pontificis Optimi Maximi verba facere ad Sacrum Purpuratorum Patrum Cœtum, Juſta*

eidem in Vaticano Templo magnificè perſolventem. Aut enim longè alium Oratorem præſtantiſſimas tanti Pontificis Virtutes ſibi depoſcere planè ſentiebam: Aut illas venerabundo potius, & attonito quodam ſilentio, quàm ulla dicendi copia proſequendas arbitrabar. Non tamen idcirco animum deſpondi, mecum ipſe reputans Gemmas pretioſiores, proprioque nitore fulgentes, nullo egere ornamento, ex quo ſibi commendationem aſciſcant, nec in iis juncturæ, nexuſque elegantiam ſpectari, ſed ipſas. Itaque non id mihi propoſitum fuit, ut Orationem componerem, ſed potius ut capita rerum egregiè ab illo geſtarum ſimplici quadam narratione complecterer, & quaſi de iis commentariolum recitarem. Non mediocris autem, & ſecunda admurmuratio audientium, quibus, tamquam veriſſimè dicta quæcunque proferebantur, probari intelligebam, fecit, ut qualemcunque illam lucubrationem literis mandari non abnuerim: Expedit enim quàm maximè de INNOCENTIO XIII. *omnem quoque poſteritatem audire, & ad eos, qui naſcentur, illuſtrium factorum memoriam propagari. Utinam aliquantò amplius provecta illius vita fuiſſet! Utinam potuiſſem quoque res enarrare maximas, vel quas cogitabat, vel quarum ille fundamenta jecerat! Sed fortaſſe eve-*

niet

niet, quod de ſupremis eximiorum Artificum operibus, imperfectiſque Tabulis uſu venire compertum eſt, ut nimirum in majori etiam ſint admiratione : quippe in iis (*ut inquit Plinius* *) lineamenta reliqua, ipſæque cogitationes Artificum ſpectantur : atque in lenocinio commendationis dolor eſt : manus, cùm id agerent, extinctæ deſiderantur. *Jam verò ipſum Orationis argumentum, Princeps Eminentiſſime, jure ſuo poſtulat eam tuo Nomini inſcribi, dum, obſcuris licèt coloribus, adumbratur imago præſtantiſſimi Pontificis Fratris tui, cui quidem non virtutum minus cognatione, quàm ſanguinis, conjunctum te præbes, & cujus conſiliorum, in rebus omnibus præclarè ab illo, ſive geſtis, ſive paratis, particeps ſemper, reique publicæ juvandæ ſtudio fautor fuiſti.*

* *Lib.* 35. *cap.* 11.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. Patri Sacri Palatii Apoſt. Magiſtro.

N. Epiſcop. Bojan. Viceſger.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ordin. Prædicat. Sacri Palat. Apoſt. Magiſter.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO.

HAbet hoc, Eminentiſſimi PP. magnorum Principum interitus, ut multa inde incommoda publicis rationibus afferantur: Graviora verò, & ſupra quàm poſſit æſtimari, acerbiſſima, quum gubernatio ſapientiſſimè inſtituta caſu aliquo intercipitur, & Navem in altum feliciter dirigens Gubernator è medio curſu revocatur. Id ſanè luctuoſo nimis experimento didicimus, tam inopinato, tam importuno tempore ab humanis erepto INNOCENTIO XIII. Pontifice Optimo Maximo. Noſtris enim oculis pęnè adhuc obverſatur celebritas illius diei, quâ hæc Urbs Civem ſuum, ex Familia, Heroum ſeminario quodam, progenitum, in ſacroſancta Petri Sede collocatum auguſtè venerata eſt; ſuamque lætitiam ſecundis acclamationibus, fauſtiſque ominibus in remotas Orbis partes propagavit.

Digitized by Google

Modò verò in communi triſtitia Principem, Parentem, Paſtorem Eccleſiæ, omnes iſtiuſmodi partes, & numeros magnificè, abſolutêque implentem deploramus amiſſum, tum potiſſimum, cum illum vivere, diuque incolumem ſervari, Chriſtianæ Reipublicæ, & Sedis Apoſtolicæ maximè intererat. Ego quidem, ſi mihi perſuaderem laudes ejus æquari verborum ornamentis poſſe, iiſque explicandis vel diſertiſſimi cujuſque Oratoris eloquentiam eſſe ſuffecturam, valde dolerem tam imbecillis ingenii mei viribus rem tantam eſſe demandatam. Sed cùm ita vixerit Innocentius,ut à nemine laudari pro dignitate poſſit, & virtutum, quibus floruit, documenta luce palàm edita fuerint, verendum non eſt, ne, quæ maximis ille aliorum operibus adæquavit, minora ipſe dicendo faciam. Quare noſtra hæc non tam laudatio dici poterit, quàm debita quædam ex veteri inſtituto doloris,& luctus ſignificatio, cum jucunda rerum præclarè geſtarum recordatione ad mœroris publici levamentum conjuncta.

Neque verò in eas ingrediar laudes, quæ ſummum Sacerdotium præceſſere, cùm ad egregiam anteactæ vitæ prædicationem ſatis futurum ſit dixiſſe,Michaelem Angelum de Comitibus eum planè fuiſſe,quem Clemens xi.æquiſſimus rerum,

&

& meritorum æſtimator in ampliſſimum veſtrum Ordinem cooptandum judicaverit: In hoc autem dignitatis gradu talem ſe præſtitiſſe, ut eumdem Vos ipſi, qui nunc ejus funeri adeſtis, tanta voluntatum conſpiratione, parem excelſo Sacrorum Imperio, & Deo proxima poteſtate dignum cenſueritis. Ago igitur cauſam veſtram, cúm dico, rerum eventus, qui ſunt conſecuti, graviſſimum veſtrum de illo judicium comprobaſſe: nam veſtræ, imò totius Chriſtiani Orbis expectationi cumulatiſſimè reſpondit Innocentius, ejuſque eximiæ animi dotes in ampliora deinde ſpatia deductæ ad ſummum decus, & immortalem gloriam contenderunt. Pietatem in Deum intimo cordis ſenſu, ſolidoque cultu ſemper fovit, interdum etiam ſacris precationibus lacrymas admiſcere viſus, quibus fortaſſe acceptum referri debet, quod tribus fermè hiſce annis, quibus cuſtodiæ Gregis præfuit, nihil Chriſtiani ſanguinis bellicus furor effuderit. Religionis itidem, & Divini honoris ſtudio incenſus ſaluberrimas edidit leges, ad conſervandam, vel inſtaurandam in præſtantiſſima Catholici Orbis parte Eccleſiaſticā diſciplinam maxime accommodatas. Huc etiā pertinet, quod, ut Franciſcanæ Familiæ de Eccleſia tam bene merentis tranquillitati, rectæque gubernationi tutius conſultum eſſet, ſuprema ejus

Comi-

Comitia ſuo ipſe nomine indicere, iiſque præſi-dere dedignatus minimè fuerit. Excitatam adversùs Catholicæ Fidei cultores in regionibus diro hæreſeos veneno pollutis procellam, Divina priùs ope publicis ſupplicationibus implorata, deinde adhibita etiam humana per litteras ad Orthodoxos Principes datas providentiſſimè curavit compeſcere. Alibi Eccleſiæ, & Religionis perturbatores,quos jam CLEMENS XI.juſtis legibus, debitiſque pęnis coercuerat, ſua quoque auctoritate conterruit, & ne quid moliri auderent,cohibuit. Ceteris etiam in rebus qualis fuerit INNOCENTIUS, perpendite. Nego illum quicquam in dicenda ſententia,aut metui, aut gratiæ unquam dediſſe. Nego ad cujuſquam voluntatem orationem ſuam unquam accommodaſſe. Nego quicquam veritate, probitate, & religioſiſſima honeſtatis diſciplina antiquius habuiſſe. Itaque negotiorum conficiendorum causâ neceſſe minimè erat molles captare aditus,nam preces apud eum, neque erant ad juſta impetranda neceſſariæ, neque ad injuſta extorquenda efficaces. Quid verò opus eſt, præſertim apud vos agentem, pluribus verbis exponere ſingularem illam in tractanda Re publica Majeſtatem? Non equidem prolixiorem, ſed quibuſque rebus aptum, & Principe dignum ſermonem, in quo nullum planè verbum

eſſet

eſſet, niſi conſultò, & meditatö prolatum? Comitatem ita cum gravitate temperatam, ut neque lenitas de auctoritate, neque ſeveritas quicquam de ſuavitate detraheret? Clementiam, quæ in eo tanta erat, ut in accepti beneficii loco ponere videretur offerri ſibi benignitatis adhibendæ occaſionem? Cùm non integra, imò plerumque affecta, & ægra uteretur valetudine, hoc maximè angebatur nomine, quod à ſtatis Cæremoniis, ſacriſque ſolemnibus peragendis abſtinere morbi incommodo cogeretur, & majorem, ut optaſſet, ipſum adeundi, alloquendique copiam facere præpediretur. O', ſi quantum valebat animo, tantum etiam corporis viribus, & valetudinis firmitate valuiſſet! Publicum præterea decus ſplẽdida coluit magnificentia, cujus argumento ſunt pulcherrima ædificia, quibus hanc Urbem alioqui elegantiſſimam exornare aggreſſus eſt: Qua in re id etiam ſpectabat, ut egenorum inopiam ſublevaret, & proletariis ſubſidium, non cum deſidia, & otio vitiorum fomite, ſed cum induſtria bonorum morum altrice conjunctum impertiret. O' mentem æquo, rectoque ſemper addictam, atque deſponſam! O' indolem Principis candidiſſimam, liberalem, ingenuam, & ab omni fuco abhorrentem! O' prudentiam in rebus gerendis, providendiſque admirabilem, quàm nihil fal-

lere potuiſſet ! O' integrum in omni deliberatione judicium, cujus conſilia certa ratio, ſtabiliſque ſententia rexit, ſemperque moderata fuit ! Ut enim ſacer eſt, nec ulla ſequioris elementi perturbatione Æter attingitur, ſubjectique ſunt illi altiſſimæ naturæ venti, procellæ, imbres, turbines: ſic cœleſtis Innocentii mens nullius humanæ affectionis tempeſtate concitabatur, quam timor non dejiceret, non impelleret odium, non inflammaret ira, lætitia non efferret, mœror non conficeret. Quamobrem tam multas, præclaraſque illius virtutes reputanti minus mirari ſubit, quod tantam ſibi conciliaverit benevolentiam, & exiſtimationem apud omnes Chriſtiani nominis Principes, quibus venerandus juxta, & acceptiſſimus fuit, ut ſcitis. Magna eſt vis, quæ ab excellentiſſima virtute proficiſcitur, & omnium oculos, atque animos ad ſe ſe trahit, rapitque. Ergo his præſidiis ſubnixus, Romanæ Eccleſiæ ſum̃am dominationem in Provincias fiduciarias, & vectigales retinuit, confirmavit, aſſeruit. Dignitatem, & auctoritatem Sanctæ Sedis aſſidua vigilantia, invicto robore, ſingulari ſapientia ſuſtinuit, ejuſque Jura ſarta tecta pro virili parte ſervavit. Multa, gravibus quamquam difficultatibus implicata, compoſuit. Pluribus, quæ impendebant, perficiendis viam, normamque appoſitam præ-

mon-

Digitized by Google

præmonſtravit. Doleo etiam, vehementer doleo, quòd maximum, pro Apoſtolica Sede, INNOCENTII opus, quòd immortalem illi gloriam comparabit, nondum publica luce fruatur. Doleo rurſus, & angor, quòd alia ob præproperam ejus mortem inchoata manſerint: Quæ tamen ubi ad maturitatem venerint, exitumque, ut dubitari nequit, fortunatum habuerint, non mediocris inde laus in INNOCENTIUM redundabit, qui eorum, ut verbis utar Apoſtoli Pauli, *ſapiens Architectus fundamentum poſuit*; cujus ſolicitudinem, auctoritatem, & præclaram apud Principes exiſtimationem ad felices illorum progreſſus tantum valuiſſe conſtabit. At, qui Maximus in omni virtutum genere habebatur à cunctis, tenebatque altiſſimum inter homines gradum Dignitatis, & meriti, unus ipſe ſibi Chriſtiana Humilitate minimus erat. Eſt illa Gregorio Magno verè digna vox: *tantò quemque pretioſiorem Deo, quantò propter eum viliorem ſibi*: Meminiſtis, quàm demiſſè de ſe ipſo ſentiret: aſſuetus, nunquam ſua, ſæpiùs Superiorum Pontificum, ac præſertim CLEMENTIS XI., facta prædicare: clavo Eccleſiæ tenendo imparem ſe dicere: aliorum ſententias, quaſi ſuæ diffidens exquirere, & ad eas libenter accedere. Jam verò quid me dicturum arbitramini de tam ſublimi in ſuos moderatione? Celebra-

bitur

bitur illa quidem,non ſolùm noſtris, ſed omnium Gentium literis, & linguis, neque ulla unquam ætas de hac heroica, ipſoſque naturæ fines prætergreſſa virtute conticeſcet. Tam multi Affines, in Civitate Principe Proceres, avita claritate amplissimi, tot etiam temperati animi argumentis commendati, quo tamen loco apud illum fuerint, admirabundi conſpeximus. Poſteritati autem Familiæ ſuæ(præter ſempiternam ſui Nominis memoriam, & tam illuſtre patrimonium laudis,) quid aliud ab hoc Pontifice relictum obveniet, quàm inſignis Bibliotheca? Scilicet perenne monumentum amoris, quo ille literariam facultatem, eruditoſque Viros complectebatur, ſimulque domeſticum Poſteris incitamentum ad veram felicitatem ſtudio, cultuque ſapientiæ comparandam. Sed jam ipſius exitus, & ex hac vita migratio meam ad ſe vocat orationem, ut intelligant omnes vitam ita laudabiliter actam non minus laudabili fine eſſe concluſam. Et in eo quidem quid priùs, quid magis mirer? Pietatemne, quâ octo ante obitum totos dies Sacrum Adminiſtrum à ſuo nunquam latere diſcedere paſſus eſt? Religionem,quâ terrenis omnibus cogitationibus abjectis, Deo, & ſibi tantùm vacare voluit? An fortitudinem animi, quâ tantam vim doloris, acerboſque cruciatus toleravit? An conſtantiam,

quâ

quâ adventantem mortem præſenſit, nulloque conſcientiæ angore vexatus ita non exhorruit, ut de ea ſine ulla prorſus, aut vultus, aut animi perturbatione loqueretur? An denique incredibilem illam, quaſi dixerim, de ſe ipſo victoriam, dum ingenitis benignitatis, & munificentiæ ſtimulis repreſſis, à ſummis Dignitatibus conferendis prudens, & ſciens abſtinuit? Succeſſori nimirum ſuo, qui inter Vos eſt, relinquens de Viris ad eas deligendis judicium, quod in eo temporis articulo ſibi ſumere noluit, & Apoſtolici Senatus numerum implendi gloriam ſibi à ſemetipſo negatam, alteri ex Vobis ultro concedens: Quæ res tantò præſtantior eſt, quantò pauciores antea ad hunc altiſſimum honoris gradum evexerat, quantôque magis humanis rationibus arridere ſolet multos relinqui ſuperſtites, apud quos grati animi fidelis memoria ſit valitura. Quamobrem, ut unde eſt orſa, illuc noſtra redeat oratio, nemo profectò erit, qui non affirmet, rectè, meritôq; à me pronuntiari, INNOCENTIUM XIII. naturæ fortaſſe ſatis vixiſſe: gloriæ etiam ſatis: at certè, quod maximum eſt, Chriſtianæ Reipublicæ, Catholicæ Eccleſiæ, Sedi Apoſtolicæ, publicæ felicitati, bonorum omnium deſiderio, parum.

FINIS.

B.17.3.130/22
BNCF

739929

NCF